

go prima ad secundam erit, vt tertia ad quartam, scilicet figura solida, A, ad figuram solidam, D, erit vt omnia plana, A, ad omnia plana, D, cum quibusuis regulis assumpta, quod & in figuris solidis ostendere opus erat. Def. Qui.
s. Elm.


C O R O L L A R I V M.

Liquet ex hoc, quod, vt inueniamus, quam rationem habeant inter se dua figura plana, vel solida, sufficiet nobis reperire, quam, in figuris planis, inter se rationem habeant earundem omnes linea, & in figuris solidis, earundem omnia plana iuxta quamuis regulam assumpta, quod nona huius mea Geometria veluti maximum iactio fundamentum.

T H E O R E M A I V. P R O P O S. I V.

SI dua figurae planae, vel solidae, in eadem altitudine fuerint constitutae, ductis autem in planis rectis lineis, & in figuris solidis ductis planis vtcumque inter se parallelis, quorum respectu praedicta sumpta sit altitudo, repertum fuerit ductarum linearum portiones figuris planis interceptas, seu ductorum planorum portiones figuris solidis interceptas, esse magnitudines proportionales, homologis in eadem figura semper existentibus, dictae figurae erunt inter se, vt vnum quodlibet eorum antecedentium, ad suum consequens in alia figura eidem correspondens.

Sint primò dua figurae planae in eadem altitudine constitutae, C A M, C M E, in quibus dua vtcumque rectae lineae inuicem parallelae ductae intelligantur, A E, B D, respectu quarum communis altitudo assumpta intelligatur, sint autem portiones figuris interceptae ipsae, A M, B R, in fig. C A M, & M E, R D, in fig. C M E, reperiatur autem, vt, A M, ad M E, ita esse, B R, ad, R D. Dico figuram, C A M, ad figuram, C M E, esse vt, A M, ad, M E, vel, B R, ad, R D, quoniam enim, B D, A E, vtcumq; ductae sunt inter se aequidistantes, patet, quod quaelibet earum, quae dicuntur omnes lineae figurae, C A M, sumptae regula altera ipsarum,



P 2

A M,